MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80190-3

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

RAU, RUDOLF

TITLE:

QUAESTIONES PLUTARCHEAE AD CIMONIS

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1901

Master Negative #
91-80190-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P71
KZ
v.1

Rau, Rudolf , 1877-
Quaestiones Plutarcheae ad Cimonis et Pericles vitam pertinentes. Dissertatio inauguralis quam... scripsit Rudolfus Rau... Lipsiae, typis Hallbergi 1901.
45 p. 23 cm.

Thesis, Leipzig.

Volume of pamphlets

354546

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-16-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE. INC.



Z.A- 12888

88P71 K2
Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

Plutarch
Vitae. Pericles
text cut
Plutarch
Vitae. Cimon
text cut
no. 1
88P2
U22
COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

QUAESTIONES PLUTARCHEAE

AD

CIMONIS ET PERICLIS VITAM PERTINENTES.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

RUDOLFUS RAU
CYGNEENSIS.

LIPSIAE
TYPIS HALLBERGI & BUECHTINGI
MCMI.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

JOHANNIS SAMUELIS ADOLFI WOLFII

et

ROSINAE WOLFIAE,

matris parentum,

Piis manibus.

88P71
KZ
v.1

Tabula Argumenti.

Exordium . . . . . p. 7

Cap. I. Plutarchus utrum in Vita Cimonis Theopompo auctore usus sit necne . . . . . p. 10

§ 1: Plutarchi narratio de Cimonis liberalitate (cap. X) num e Theopompo sit sumpta . . p. 11

§ 2: Quae de Cimone post pugnam apud Tanagram commissam in patriam reducto refert Plutarchus (cap. XVII), num e Theopompo sint petita . . . . . p. 17

§ 3: De reliquis Vitae Cimonis partibus . . . p. 20

Cap. II. Periclis Vita Plutarchea utrum e Theopompo sit sumpta necne . . . . . p. 25

Cap. III. Plutarchus utrum auctores, quos in Vita Cimonis attulerit ipse inspexerit necne . . . . p. 31

§ 1: Plutarchus utrum fontes in pugna Eurymedontea allatos ipsos ad manus habuerit necne . . . . . p. 32

§ 2: Plutarchus utrum in Cimonis rebus domesticis enarrandis rerum scriptores ipse adierit necne . . . . . p. 35

Conclusio . . . . . p. 43

Exordium.

Iam diu viri docti vehementissime inter se disceptaverunt Plutarchus utrum rerum scriptores, quos in vitis affert, ipse legerit et inspexerit necne. Maxime hac controversia vexabantur vitae hominum Graecorum saeculi a. Chr. n. quinti. Nam Solonis in vita post Begemannum [1]) a Niesio [2]) res videtur esse diiudicata. [3]) Multo autem difficilius res se habet in vitis Themistoclis, Aristidis, Cimonis, Periclis. De Themistocle scripserunt Max. Mohrius [4]) et E. Schmidtius. [5]) Uterque Plutarchum Phainia potissimum auctore usum esse statuit. Aristidis in vita scriptorem quendam ignotum temporis Alexandrini videre sibi visus est Hermannus Rosius [6]). Istum fuisse Idomenea illum, qui scripsit *περὶ δημαγωγῶν* [7]) affirmant Adolfus Schmidtius [8]) et W. Fulstius. [9]) Mohrius l. l. in

1) Quaestiones Soloneae I. Diss. Gotting. 1875.

2) 'Zur Geschichte Solons und seiner Zeit'. in libro: 'Historische Untersuchungen, Arnold Schäfer gewidmet'. Bonnae. 1882, p. 4 seqq.

3) cf. Busoltii Hist. Graec. vol. II, 1895, p. 58—60.

4) 'Die Quellen des plutarchischen und nepotischen Themistocles etc.'. Diss. Gotting. 1879.

5) 'Eine Hauptquelle in Plutarchs Themistocles'. Progr. Marienburg. 1883.

6) De Aristidis Plutarchei fontibus. Diss. Gotting. 1874.

7) cf. Fragmenta Historicorum Graecorum coll. C. Müller vol. II. Paris. 1848, p. 489 — 494. et Susemihlium 'Alex. Lit.-gesch.'. I, 593 seqq.

8) 'Das Perikleische Zeitalter'. vol. II, p. 275—285.

9) 'Über die Quellen Plutarchs für das Leben des Aristides'. 1885.

hac quoque vita Phainiam auctorem statuendum esse contendit. —

Primus, quantum ego quidem video, contra illas doctorum virorum sententias Plutarchum defendere studuit Adolf. Holmius. [1]) Is l. l. Niciae vitam tractavit et de ratione in vitis Plutarcheis discerpendis adhibenda optime diligentissimeque disseruit. Ab eadem parte stant Udalricus Wilamowitzius de Möllendorff [2]) et Alfredus de Gutschmid. [3]) Contra Julius Belochius cum Mohrio, Rosio, Schmidtio facit cum dicit [4]): 'Seine Biographien sehen zwar gelehrt aus und prunken mit einer Masse von Citaten, aber es sind in der Regel geborgte Federn.' Wilamowitzius nunc easdem partes videtur suscepisse. [5]) In Historia Graeca [6]) Holmius obiter tantum hanc causam tetigit, sed non sunt omittenda, quae in Bursiani annalibus, [7]) ubi Schmidtii, Holzapfelii, Mohrii libros recensuit, passim disputavit. Busoltius, qui novissimus rem tractavit, adversariorum diversa argumenta componere studuit, sed rem ipsam decernere non ausus est. [8]) Eduardus Meyer,

1) In Appendice prima libri: 'Geschichte Siciliens im Altertum'. vol. II, p. 345—356, impr. 345 seqq.

2) 'Zur Thucydideslegende'. in Hermae vol. XII, 1877, impr. p. 362.

3) 'Die Geschichtsüberlieferung über das Perikleische Zeitalter'. ('Allgem. Zeitung'. 1880, Nr. 103 et 104 = 'Kl. Schriften'. ed. Rühl. vol. IV, p. 93—106).

4) Hist. Graec. vol. I, 1893, p. 21.

5) cf. 'Aristoteles und Athen'. vol. I, 1893, p. 168: Die biographische Kompilation, von der Plutarch abhängt'; 263 annot. 7; 265: 277; 299: 300; 301.

6) vol. II, p. 116—119; 128—135.

7) vol. XXIII, p. 319—340; 384—386.

8) cf. Hist. Graec. vol. II², 1895. p. 626—630 de Themistocle et Aristide — vol. III¹, 1897. p. 28—31 de Themistocle; p. 31 — 35 de Aristide; p. 35—37 de Cimone; p. 237—239 et 591 de Pericle.

cum anno 1893 historiae antiquae volumen alterum in lucem ederet, imperatorum Graecorum veterum in vitis Plutarchum virum multae lectionis se praestitisse sibi persuaserat [1]), at nunc sententiam pristinam procul abiecit et in libro qui inscribitur: 'Forschungen zur alten Geschichte' vol. II, Halis 1899, non solum Graecorum veterum, sed omnino omnium tam Graecorum quam Romanorum [2]) vitas, quae Plutarchi sub nomine ferantur, maximam partem ab eo non esse compositas summo opere contendit. Quae opinio cum tam nova, tamque inaudita sit, argumenta, quae protulit Meyer, paullo diligentius examinare operae duxi pretium. Sed antequam ad propositum ipsum accedam, de Theopompo Plutarchi auctore pauca mihi praemittenda sunt, quam causam prius absolvamus necesse est, quam ad alteram transire possimus.

1) § 14 = p. 23.

2) p. 66 et 71 annot.

Caput primum.

Plutarchus utrum in vita Cimonis Theopompo auctore usus sit necne.

Rühlius dissertatione inaugurali, quae inscribitur: 'Die Quellen Plutarchs im Leben des Kimon', Marburgi 1867, totam fere Cimonis vitam e Theopompo hausisse Plutarchum demonstrare conatus est.[1]) Quam sententiam cum, quantum equidem vidi, recentiorum omnis caterva acceperit[2]), et ea, quae Holzapfelius contra Rühlium protulerit[3]) aut omnino in censum non venerint aut a viris doctis reiecta sint, argumenta, quae Rühlius attulit, denuo refellere, inutile fortasse non erit.

Iam ante Rühlium loci Plutarchei duo Theopompo erant attributi. Altera est notissima illa capitis decimi de Cimonis liberalitate narratio, quae quodammodo congruit cum fragmento Theopompeo, quod exstat apud Athenaeum in libro XII[4]), altera, quae est de Cimone revocato (capitis XVII), componitur cum fragmento 92 Müller.[5]) Eos igitur locos primos examinemus.

1) cf. imprimis l. l. p. 23 seqq.

2) cf. Ad. Schmidtium, 'Perikl. Zeitalter'. vol. I, p. 9 annot. vol. II, p. 162—194. — Holmii Hist. Graec. vol. II, p. 132. — Wilamowitzium, 'Ar. und Ath.' I, 300. — Busoltii Hist. Graec. vol. III[1], p. 36.

3) 'Untersuchungen über die Darstellung der griechischen Geschichte von 489—413 vor Chr.' Lips. 1879.

4) — Müller F. H. G. I. p. 293 frg. 94.

5) — schol. ad. Ael. Aristid. vol. III, p. 528 Dind.

§ 1.

Plutarchi narratio de Cimonis liberalitate (cap. X) num e Theopompo sit sumpta.

Plut. Cim. X = Athen. XII, 533a

vol. II p. 481 (Sinten.) l. 25: *τῶν τε γὰρ ἀγρῶν τοὺς | φραγμοὺς ἀφεῖλεν, ἵνα καὶ τοῖς ξένοις καὶ τῶν πολιτῶν | τοῖς δεομένοις ἀδεῶς ὑπάρχῃ λαμβάνειν τῆς ὀπώρας, καὶ | δεῖπνον οἴκοι παρ' αὐτῷ λιτὸν μέν, ἀρκοῦν δὲ πολλοῖς, | ἐποιεῖτο καθ' ἡμέραν, ἐφ' ὃ τῶν πενήτων ὁ βουλόμενος | 30 | εἰσήει καὶ διατροφὴν εἶχεν ἀπράγμονα, μόνοις τοῖς δημο- | σίοις σχολάζων. [Ὡς δ' Ἀριστοτέλης φησίν, οὐχ ἁπάν- | των Ἀθηναίων, ἀλλὰ τῶν δημοτῶν αὐτοῦ Λακιαδῶν πα- | 482 | ρεσκευάζετο τῷ βουλομένῳ τὸ δεῖπνον.] Αὐτῷ δὲ νεανί- | σκοι παρείποντο συνήθεις ἀμπεχόμενοι καλῶς, ὧν ἕκα- | στος, εἴτις συντύχοι τῷ Κίμωνι τῶν ἀστῶν πρεσβύτερος | ἡμφιεσμένος ἐνδεῶς,*

vol. III p. 175 (Kaibel) l. 14: *ἐν τῇ | δεκάτῃ τῶν Φιλιππικῶν ὁ Θεόπομπός φησι | : Κίμων ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς ἀγροῖς καὶ τοῖς κήποις | οὐδένα τοῦ καρποῦ καθίστα φύλακα, ὅπως οἱ βουλό- | μενοι τῶν πολιτῶν εἰσι- | όντες ὀπωρίζωνται καὶ λαμβά- | νωσιν εἴ τινος δέ- | οιντο τῶν ἐν τοῖς χωρίοις. ἔπειτα | 20 | τὴν οἰκίαν παρεῖχε κοινὴν ἅπασι. καὶ δεῖπνον αἰεὶ εὖ- | τελὲς παρασκευάζεσθαι πολλοῖς ἀνθρώποις καὶ τοὺς | ἀπό- | ρους προσιόντας τῶν Ἀθηναίων εἰσιόντας δειπνεῖν. | ἐθεράπευεν δὲ καὶ τοὺς καθ' ἑκάστην �η- | μέραν αὐτοῦ τι | δεομένους, καὶ λέγουσιν ὡς περιήγετο μὲν ἀεὶ νεανί- | σκους δύ' ἢ τρεῖς ἔχοντας κέρματα τούτοις τε διδόναι | 176 | προσέταττεν, ὁπότε τις προσέλθοι αὐτοῦ δεόμενος. [καί | φασι μὲν αὐτὸν καὶ*

διημείβετο πρὸς αὐτὸν τὰ ἱμάτια. | 5 | καὶ τὸ γινόμενον ἐφαίνετο σεμνόν. οἱ δ' αὐτοὶ καὶ νό- | μισμα κομίζοντες ἄφθονον παριστάμενοι τοῖς κομψοῖς | τῶν πενήτων ἐν ἀγορᾷ σιωπῇ τῶν κερματίων ἐνέβαλλον | εἰς τὰς χεῖρας.

εἰς ταφὴν εἰσφέρειν.] ποιεῖν δὲ | καὶ τοῦτο πολλάκις ὁπότε τῶν πολιτῶν τινα ἴδοι κα- | κῶς ἠμφιεσμένον, κελεύειν αὐτῷ μεταμφιέννυσθαι τῶν | 5 | νεανίσκων τινὰ τῶν συνακολουθούντων αὐτῷ. ἐκ δὴ | τούτων ἁπάντων ηὐδοκίμει καὶ πρῶτος ἦν τῶν πολι- | τῶν.

Afferuntur testes: Cratinus comicus ἐν Ἀρχιλόχοις; Gorgias Leontinus; Critias ἐν ταῖς ἐλεγείαις.

E Theopompo sua exscripsisse Plutarchum primus suspicatus est Lukas.[1]) Eum secuti sunt Arnoldus Ekker[2]), Carolus Müller[3]), Valentinus Rosius[4]), Hermannus Sauppius[5]), Onckenius[6]), Wilamowitzius[7]) alii.

Schmidtium si omittimus, qui hic quoque Stesimbroti sui reliquias recognoscere sibi visus est[8]), unus Holzapfelius[9]) propter rerum narratarum discrepantias Theopompum a Plutarcho esse adhibitum negavit. Contra Rühlius[10]) discrepantias adesse quidem concedit, sed tamen

1) 'Versuch einer Charakteristik Kimons', Cervimonti 1835.
2) Plutarchi Cimon. Traj. ad Rhenum. 1845.
3) F. H. G. vol. I, 1853, p. 293.
4) Aristoteles pseudepigraphus. Lips. 1863, p. 422.
5) 'Die Quellen Plutarchs für das Leben des Perikles' [= 'Abh. der Akademie der Wissensch. zu Göttingen', vol. XIII, 1868, p. 16 seqq.]
6) 'Die Staatslehre des Aristoteles', II. Lips. 1875, p. 484 seqq.
7) 'Arist. u. Ath.' I, p. 300.
8) l. l, vol. I, p. 256—267.
9) l. l, p. 103 seqq.
10) l. l. p. 12.

nullius paene momenti esse contendit, quia Athenaeus Theopompi verba certe mutaverit et coartaverit, Plutarchus autem auctores suos nequaquam ad verbum expresserit.

Mea quidem sententia post repertam Atheniensium rempublicam Aristotelicam res est diiudicata. Legimus enim in illius libri cap. XXVII § 3 (ed. Blassian.[3] 1898): 'ὁ γὰρ Κίμων ἅτε τυραννικὴν ἔχων οὐσίαν, πρῶτον μὲν τὰς κοινὰς λητουργίας ἐλητούργει λαμπρῶς, ἔπειτα τῶν δημοτῶν ἔτρεφε πολλούς· ἐξῆν γὰρ τῷ βουλομένῳ Λακιαδῶν, καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν ἐλθόντι παρ' αὐτὸν ἔχειν τὰ μέτρια· ἔτι δὲ τὰ χωρία πάντα ἄφρακτα ἦν ὅπως ἐξῇ τῷ βουλομένῳ τῆς ὀπώρας ἀπολαύειν.'

Videmus Plutarchum partim cum Theopompo partim cum Aristotele facere. Quid igitur? Num Plutarchus ambos rerum scriptores inter se coniunxit? Ita rem se habere iudicavit is, qui novissimus de hoc loco tulit sententiam, Busoltius (l. l. p. 6). Sed haec exploduntur, si reputamus Theopompum Philippica sua post annum ante Chr. n. 324 edidisse[1]), Aristotelem autem opusculum suum duobus annis ante.[2]) Statim enim existit quaestio, undenam isti viri narrationes suas habuerint. Cum auctores saeculi quarti exeuntis de quinti saeculi rebus gestis referant, iam librum quendam scriptum ipsos quoque adhibuisse per se est verisimile. Quae sententia quodammodo affirmatur verbis 'καί φασι μέν.' Cum Plutarchus cum neutro ad verbum consentiat, per quosvis rivulos fontem primarium ad eum permanasse statuendum est.

Theopompus certe, qui per totam Cimonis vitam ne semel quidem nominatur, procul est habendus.

Nonnulla praeterea accedunt. Plutarchus, ut narratiunculam comprobet, tria affert testimonia: Cratini comici

1) cf. Wachsmuthium, 'Einleitung in das Studium der alten Geschichte', Lips. 1895, p. 539 annot.
2) cf. Gerckium apud Paulyum—Wissowam, vol. II, p. 1052,15.

versiculos nonnullos, dictum quoddam Gorgiae, distichon Critiae. Quae eximiae doctrinae frustula, cum neque apud Theopompum neque apud Aristotelem reperiantur, quisnam Plutarcho suppeditavit? An de suo addidit? Contra si quis cum Rühlio et Kaibelio [1]) minime ipsa Theopompi verba exscripisse Athenaeum et fortasse nonnulla quoque omisisse contendat, locum quaeso paullo diligentius inspiciat. Primum enim verbis ‘*ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν Φιλιππικῶν ὁ Θεόπομπος φησι*’ luce clarius habere nos Theopompum ipsum demonstratur. Deinde enuntiato ultimo: ‘*ἐκ δὴ τούτων ἁπάντων ηὐδοκίμει καὶ πρῶτος ἦν τῶν πολιτῶν*’ nihil praeterea additum fuisse comprobatur. Denique, si omnia quae libro decimo Theopompi attributa sunt ab huius saeculi viris doctis, in eo fuissent, non unum, sed decem vel plures libros fore completos, non deerant, qui monerent [2]); neque quae Carolus Müller (F. H. G. vol. I, p. LXXI) de istius libri argumento dixerit, ommittamus: ‘antiquiores illos, ut Themistoclem et Cimonem, brevius recensuisse, fusius autem exposuisse videtur de demagogis Eubulo, Callistrato, Cleone, Hyperbole aliis’.

Cum hactenus Holzapfelio assentiar, in reliqua disceptationis parte cum eo facere nequaquam possum. Quae enim abiudicavit Theopompo, ea Joni studet tribuere. [3]) Quam ad quaestionem absolvendam quomodo enuntiatum illud, quo caput nonum coniungitur cum decimo, sit intelligendum, summi est momenti. Capite nono Plutarchus narrationem Jonis ex Epidemiis sumptam refert: Post Byzantium captum sociis e praeda quae

1) in annotatione critica ad. l. l. — vol. III, p. 175.

2) cf. Holzapfelium l. l. p. 108. — Onckenium l. l. p. 490, annot. 3. — Ed. Meyerum, l. l. p. 58, annot. 2.

3) p. 130 seqq.

vellent eligendi Cimon dedit facultatem. Illi ‘*ψέλια χρυσᾶ καὶ μανιάκας καὶ στρεπτοὺς καὶ κάνδυας καὶ πορφύραν*’ sibi sumpserunt, Atheniensibus nihil nisi captivorum nuda corpora relinquentes, et Cimon omnibus pro ludibrio erat. Pergit Plutarchus: ‘*μικρὸν δὲ ὕστερον οἱ τῶν ἁλωκότων φίλοι καὶ οἰκεῖοι καταβαίνοντες ἐκ Φρυγίας καὶ Λυδίας ἐλυτροῦντο μεγάλων χρημάτων ἕκαστον, ὥστε τῷ Κίμωνι τεσσάρων μηνῶν τροφὰς εἰς τὰς ναῦς ὑπάρξαι καὶ προσέτι τῇ πόλει χρυσίον οὐκ ὀλίγον ἐκ τῶν λύτρων περιγενέσθαι.* Cap. X: *ἤδη δ' εὐπορῶν ὁ Κίμων ἐφόδια τῆς στρατιᾶς* [1]), *ἃ καλῶς ἀπὸ τῶν πολεμίων ἔδοξεν ὠφελῆσθαι κάλλιον ἀνήλισκεν εἰς τοὺς πολίτας. τῶν τε γὰρ ἀγρῶν κ. τ. λ.*’ quod Holzapfelius [2]) ita vertit: ‘Da aber Kimon mit Unterhaltsgeldern für sein Heer schon wohl versehen war, so verwandte er das, was er trefflich von den Feinden eingebracht zu haben glaubte, auf noch ehrenvollere Weise zum Wohle seiner Mitbürger.’ Addit: ‘Plutarch will also sagen, dass Kimon das für Freigebung der Gefangenen erhaltene Lösegeld, mit welchem er die Bedürfnisse des Heeres auf vier Monate hätte bestreiten können, gar nicht zu diesem Zwecke verbrauchte, weil ihm die hierzu erforderlichen Gelder schon von früher her in genügendem Masse zu Gebote standen.’ Enuntiato igitur consecutivo: *ὥστε τῷ Κίμωνι — ὑπάρξαι* secundum Holzapfelium non factum quoddam refertur, sed magnitudo tantum praedae quodammodo depingitur! Quod mihi probabile non videtur, quis enim est, qui praedae ingentem copiam talibus verbis designet? Sed aliis praeterea in difficultatibus implicamur, si Holzapfelii interpretationem accipimus. Primum enim verba, quae sequuntur: [*τῶν τε γὰρ ἀγρῶν κ. τ. λ.*], cum eis, quae ante-

1) Coraes: *στρατηγίας;* Jacobs: *στρατείας.*

2) l. l. p. 131.

cedunt, omnino non cohaerent, sed post 'ἀνήλισκεν εἰς τοὺς πολίτας' supplendum esset: 'Pecunia illa agros et praedia sibi comparavit' vel tale quid. Deinde, quae est liberalitas, qua imperator praedam, multo civium sanguine ab hostibus captam, sibi retineat et suum in usum convertat? Jon denique potuitne omnino ita scribere? Nonne Cimonis aequalis praedam illis temporibus fuisse civitatis totius, non imperatoris tantum unius debuit scire? [1]) His argumentis contrarium atque Holzapfelius voluit, efficitur: scilicet videmus Jonem ea scribere non potuisse, sed fuisse virum quendam temporum antiquorum consuetudinis imperitissimum, qui Cimonis fortunam bellicam cum eius liberalitate atque benignitate adversus cives coniungere vellet, idque faceret per antithesin ineptam: 'bene et honeste ab hostibus argentum sibi peperit, melius et honestius civium in usum convertit,' haud curans difficultates, quae hoc modo orerentur. Quis fuerit ille, diiudicare equidem non audeo, sed tamen caute nonnulla proferam, quibus Plutarchum ipsum fuisse haud fit incredibile. 'ὠφέλεια' enim pro 'λεία' primum a Polybio usurpatur, et praeter Diodorum Plutarchus eo potissimum utitur; [2]) 'ὠφελεῖσθαι' autem praedandi notione in lexicis exemplis tantum Plutarcheis illustratum inveni eisque permultis. exempli gratia affero: Aristid. V: *πλὴν εἴ τινες ἐκεῖνον λαθόντες ὠφελήθησαν.* Cato X: *τοῖς στρατιώταις πολλὰ παρὰ τὴν στρατείαν ὠφεληθεῖσιν.* Timol. XXIV: *τοὺς μισθοφόρους βουλόμενος ἐκ τῆς πολεμίας ὠφελεῖσθαι.* Cim. XVIII; Lucull. XIV, XIX, XXIX etc.

1) cf. Aug. Boeckhium. 'Staatshaushaltung der Athener' I², p. 444 et impr. 762.

2) cf. Wesselingium. ad Diod. Bibl. lib. I, cap. 55 in edit. Dindorf. vol. IV, Lips. 1828, p. 91. et Wyttenbachii Graecitatis in Plutarchum indicem = Moralia tom. VIII², Oxon. 1800, p. 1710 s. v.

§ 2.

Quae de Cimone post pugnam apud Tanagram commissam in patriam reducto refert Plutarchus (cap. XVII), num e Theopompo sint petita.

Simillima est ratio altero loco, ubi Cimon Athenienses cum Lacedaemoniis reconcilians inducitur.

Plut. Cim. XVII.	**schol. in Ael. Arist. III, 528 Dind.**
P. 492, l. 14 S.: *Νενικημένοι γὰρ ἐν Τανάγρᾳ μάχῃ μεγάλῃ καὶ* | 15 | *προσδοκώντες εἰς ὥραν ἔτους στρατιὰν Πελοποννησίων* | *ἐπ' αὐτοὺς ἐκάλουν ἐκ τῆς φυγῆς τὸν Κίμωνα· καὶ κα-* | *τῆλθε τὸ ψήφισμα γράψαντος αὐτῷ Περικλέους...* | 22 | *Εὐθὺς μὲν οὖν ὁ Κίμων κατελθὼν ἔλυσε τὸν* | *πόλεμον καὶ διήλλαξε τὰς πόλεις· γενομένης δ' εἰρήνης...*	*Θεόπομπος ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν Φιλιππικῶν περὶ Κίμωνος· οὐδέπω δὲ πέντε ἐτῶν παρεληλυθότων, πολέμου συμβάντος πρὸς Λακεδαιμονίους ὁ δῆμος μετεπέμψατο τὸν Κίμωνα, νομίζων διὰ τὴν προξενίαν ταχίστην ἂν αὐτὸν εἰρήνην ποιήσασθαι. ὁ δὲ παραγενόμενος τῇ πόλει τὸν πόλεμον κατέλυσε.*

Primus, quantum video, hos locos inter se composuit et Plutarchea Theopompo attribuit Meier Marxius, [1]) argumento nullo prolato. Quem secuti sunt Lukas, [2]) Rühlius, [3]) Onckenius, [4]) dubitanter tantum Ekker [5]) et Sauppius. [6]) Holzapfelius [7]) hic quoque mea quidem

1) Ephori Cumaei fragmenta 1815, p. 224.
2) 'Charakteristik Cimons'. p. 11.
3) l. l. p. 11.
4) 'Staatslehre des Aristoteles'. II, p. 488 et 490 a. 3.
5) l. l. p. 27 et 127 seqq.
6) l. l. p. 19.
7) l. l. p. 104.

sententia rem optime diiudicavit. Sed cum viri docti, qui post eum rem tractarent, velut Belochius, [1]) Wilamowitzius, [2]) Busoltius, [3]) Meyer [4]) alii, denuo contrariam protulerint sententiam, ego quidem causam duxi retractandam. Hoc quoque fragmentum verbotenus expressum esse (quod summi est momenti) demonstratur verbis: '*Θεόπομπος ἐν τῷ δεκάτῳ*' etc. Quod argumentum, si cui haud satis validum videatur, conferat, quaeso, quae scripsit Cornelius Nepos, quem e Theopompo ipso hausisse nunc omnes fere consentiunt [5]): „Cuius facti [scil. ostracismi] celerius Athenienses quam ipsum paenituit. Nam cum ille animo forti invidiae ingratorum civium cessisset bellumque Lacedaemonii Atheniensibus indixissent, confestim notae eius virtutis desiderium consecutum est. Itaque post annum quintum, quam expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur, satius existimans contendere Lacedaemonem sua sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit." (Vit. Cim. cap. III, 2).

Videmus igitur et e Cornelio et e scholio illo Aeliano Theopompum neque pugnam apud Tanagram commissam commemorasse, neque Periclem reditus auctorem. Ergo Plutarcho nihil cum Theopompo est commune, nam Plutarchum illa: '*νενικημένοι γὰρ ἐν Τανάγρᾳ μάχῃ μεγάλῃ καὶ προσδοκῶντες εἰς ὥραν ἔτους στρατιὰν Πελοποννησίων*' et '*τὸ ψήφισμα γράψαντος αὐτῷ Περικλέους*' de suo ex alio quodam auctore in Theopompi textum

1) Hist. Graec. I, p. 481 annot.
2) 'Arist. und Athen'. II, 293 annot.
3) l. l. p. 316 annot. 3 seqq.
4) l. l. p. 57.
5) cf. Goethium. 'Die Quellen des Nepos zur griech. Geschichte'. Glogaviae 1878; Holzapfelium. l. l. p. 84 et p. 105.

inseruisse nemo audebit affirmare. [1]) Huc accedunt eadem, quae iam supra protuli: quod Theopompus nusquam commemoratur et quod nulla adest verborum similitudo, nam quam profert Busoltius l. l.: *ἔλυσε τὸν πόλεμον — κατέλυσε*, ea plane nihil valet; sunt enim verba illa usitatissima tritissimaque.

Sed hic quoque cum Holzapfelio facere non possum, cum Stesimbroti eo capite nos habere reliquias dicit (l. l. p. 104). Atqui argumenta, quae protulit ille ad sententiam suam comprobandam, sunt tria.

1) Stesimbrotum de Cimonis laconismo fecisse verba, e capite XVI. intellegi. Ergo XVII. quoque caput, quo bellum Messeniacum et Cimonis exilium narretur; ex eodem fonte fluxisse verisimile esse. — At primum nego totum caput XVI. e Stesimbroto esse sumptum. Nam Holzapfelius contra Rühlium id unum tantum demonstravit non subesse Theopompum. Quod Stesimbrotus bis (489, 13 et 31 Sint.) citatur, ad Holzapfelii sententiam fulciendam non satis valet, nam praeterea Diodorus Periegeta (489,15), Aristophanes (490,29), Critias (491,2), Ion Chius (491,5) eodem capite afferuntur. Unusne deinde erat Stesimbrotus, qui de Cimonis laconismo verba posset facere?

2) Euthippi, Cimonis socii nomine (492,4) rerum scriptorem quendam eiusdem aetatis indicari. — Ergo nullus erat auctor aequalis praeter Stesimbrotum?

3) Cimonis ostracismum non Atheniensium in viros magnos invidia explicari: id quod rerum scriptores posteriorum temporum fecisse. — Ergo nemo nisi Stesimbrotus de causis exilii recte potuit iudicare?

Quibus refutatis omnia iam exploduntur; nulla est

1) quod fecerunt Busoltius. l. l. p. 316 annot. 3. et Ed. Meyer. l. l. p. 58.

causa, cur Stesimbrotum praecipue auctorem hoc loco statuamus.

Huc accedit, quod in Periclis vita (cap. X) eadem iisdem fere verbis narrantur, ut ex eodem auctore sumpta esse ea necesse sit. (cf. Holzapfelium l. l., Meyerum l. l., Busoltium l. l.). Plutarchus autem ibi (§ 3) pergit: *ἔνιοι δέ φασι* allato loco quodam Stesimbroteo (cf. Sauppium l. l. p. 19). Quare verba, quae antecedunt, e Stesimbroto hausta esse non possunt. Quod Holzapfelius Peterum secutus [1]) alium locum Plutarchi affert (Marc. Coriolan. cap. 26) quo verbis *ἔνιοι δέ φασιν* novus auctor non inducitur, quamquam recte se habere concedo [2]), tamen nullius momenti esse contendo, nam Peter hanc exceptionem esse expressis monet verbis.

§ 3.

De reliquis vitae Cimonis partibus.

Quibus locis Pseudo-Theopompeis usus Rühlius deinde (p. 13 seqq.) reliquam Cimonis vitam examinat. Sed statim a primo primae paginae enuntiato falsam inquirendi viam mihi videtur esse ingressus; rerum enim scriptores antiquos in libris suis componendis a recentioribus valde abhorrere habet persuasum, quippe qui unum tantum praecipuum auctorem ad manus habere consueverint, quem interdum cum alio mutaverint. Qua sententia causis allatis nullis statuta iam ut in omni fontium disquisitione primus ille auctor praecipuus sit investigandus efficitur. Quam rationem iam dudum vituperaverunt viri doctissimi Wilamowitzius [3]), Holza-

1) 'Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer'. Halis. 1865. p. 8.

2) cf. Mommsenium. 'Römische Forsch.'. Berol. 1879, vol. II, p. 117 annot. 14.

3) In Hermae vol. XII, p. 362.

pfelius [1]), Holmius. [2]) Ita factum est, ut in reliqua disputationis parte a vera via Rühlius magis magisque aberraverit, nam scriptores veteres, qui fusius de rebus a Cimone gestis egerint ita, ut in censum venire possint, tres tantum invenit: Thucydidem, Ephorum, Theopompum. Postquam deinde neque Thucydidem (p. 2—6) neque Ephorum a Plutarcho esse adhibitum demonstravit, unus nimirum restat Theopompus, ex quo Plutarchus sua petere posset (p. 10). — Summa autem argumenta e Cornelio Nepote in comparationem vocato capiuntur, quippe cuius Vita Cimonea e Theopompo tota fluxerit. Quam ad comparationem antequam Rühlius accedit, Plutarchi et Cornelii fidem et diligentiam imminuit atque detrectat (p. 12 et 13).

Rerum scriptores deinde inter se componuntur: mirum in modum scilicet congruunt (p. 14). Similitudines istas quas dicit Rühlius omnes denuo proferre atque examinare non habeo in animo; pauca tantum exempla, quae primo quasi aspectu occucurrerunt, exempli gratia apponam:

Nepos Cimon II, 2.	**Plut. Cim. VII 478,9 S.**
Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit, oppidum Amphipolim constituit eoque decem milia Atheniensium in coloniam misit.	*ἔπειτα τοὺς ὑπὲρ Στρυμόνα Θρᾷκας . . . . . ἀναστάτους ποιῶν. κ. τ. λ. οὕτω δὲ λαβὼν τὴν πόλιν* (sc. *Ἠιόνα*) . . . . . *τὴν δὲ χώραν εὐφυεστάτην οὖσαν καὶ καλλίστην οἰκῆσαι παρέδωκε τοῖς Ἀθηναίοις.*

Quibus locis collatis, quaenam, rogo, res sunt pares, cum Cornelius Eiona omnino non commemoret, Plutar-

1) l. l. p. 94 et 112.

2) In 'Bursians Jahresbericht'. 1880, vol. III, p. 335 et 340.

chus totus in huius oppidi obsidione narranda versetur; Cornelius Amphipolim a decem milibus Atheniensium conditam faciat, Plutarchus ne nomen quidem habeat?

Quae rationes Busoltium, qui omnibus fere aliis locis cum Rühlio facere solet, hac in causa ut ab eo abscedat, permoverunt, utpote qui Plutarchum eis quae Herodotus (VII, 107) et Thucydides (I, 98) tradidissent, nonnulla fortasse ex Ephoro addidisse statueret.[1]) Sed ne hoc quidem potest ullis fulciri argumentis.

Quae deinde de Scyro insula expugnata narraret Plutarchus (cap. VIII), ex eiusdem Theopompi Philippicorum libro decimo esse sumpta Rühlius persuasum habet, 'cum neque Ephorus neque Thucydides subesse possint, Plutarchus autem mire cum Cornelio faciat' (l. l. p. 15).

Locos afferam, sibi quisque quaerat illam quam dixit Rühlius similitudinem;

Nep. Cim. II, 5.

Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserant, vacuefecit, sessores veteres urbe insulaque eiecit, agros civibus divisit.

Plut. Cim. VIII, 479, 18 S.

Ὤικισαν δὲ καὶ Σκῦρον | ἑλόντος Κίμωνος ἐξ αἰτίας τοιαύτης. Δόλοπες ὤκουν τὴν | νῆσον, ἐργάται κακοὶ γῆς λιζόμενοι δὲ τὴν θάλασσαν | ἐκ παλαιοῦ κ. τ. λ. ...(30) παραλαβὼν δ' οὕτω τὴν | νῆσον ὁ Κίμων τοὺς μὲν Δόλοπας ἐξήλασε καὶ τὸν Αἰ- | γαῖον ἠλευθέρωσε.

Tertium idque ultimum exemplum proponam ea, quae de pugna apud Eurymedontem facta narrantur. Qua in describenda auctores, ut ait Rühlius (p. 15 seq.), inter se consentiunt, at mea quidem sententia omnia fere sunt contraria.

1) l. l. III², p. 101 annot. 1.

Ac primum quidem Cornelius pugnam ad Mycalen transtulit, Plutarchus recte in Pamphylia eam facit commissam.[1])

Accedit quod Cimonem 'Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepisse' Cornelius est auctor, Plutarchus autem (cap. XII) Ariomandem, Persarum ducem, classem vel sescentarum, quem numerum praeberet Phanodemus, vel trecentarum quinquaginta navium, sicut testaretur Ephorus, habuisse scribit, et ad illud tempus octaginta naves Phoenicum exspectasse, cum Cimon et ipse ducentas tantum habuisset et parem numerum ab hostibus cepisset. Quam Charybdim ut vitet Rühlius, aut naves Graecas cum Persicis confudisse Plutarchum aut captas pro universis cepisse statuit. Apud Cornelium denique, id quod viros doctos adhuc videtur fugisse, Cimon 'barbarorum maximam vim uno concursu prostravit' (cap. II, 3); Plutarchus autem depingit pugnam atrocissimam. Legimus enim in capite XIII (486, 6 Sint): *'ὑποστάντων δὲ τῶν Περσῶν καὶ δεξαμένων οὐκ ἀγεννῶς κρατερὰ μάχη συνέστη. καὶ τῶν Ἀθηναίων ἄνδρες ἀγαθοὶ καὶ τοῖς ἀξιώμασι πρῶτοι καὶ διαπρεπεῖς ἔπεσον. πολλῷ δ' ἀγῶνι τρεψάμενοι τοὺς βαρβάρους ἔκτεινον'.*

1) Cornelii quodam errore esse factum, ut nomen Mycales pro Eurymedonte sit positum, quod voluerunt Rinckius (Prolegomena ad Aemilium Probum. p. 86), Rühlius, (l. l. p. 16), Holzapfelius (l. l. p. 87 annot. 3) alii, nequaquam pro certo habeo. Factum enim id quoque esse potest, ut scriptor, qui tot tamque gravia vitia in libris suis conscribendis commiserit (cf. Wachsmuthium, 'Einleitung'. p. 213 et Rohdium in Mus. Rhenan. XXXV, p. 535 annot.) revera et consulto Cimoni pugnam Mycalensem tribueret. Quid, si Cimonem cum Xanthippo confudit? Semper tenendum est, si vias, quibus a vero aberraverit Cornelius, persequi et quomodo in errores suos inciderit, velimus explicare, nos admodum in lubrico versari.

Igitur omnia fere, quae differre omnino possunt, differunt. —

Eodem modo Rühlius (p. 17—23) reliquas vitarum partes, ut congruant efficit; itaque refellendi finem faciamus, et Periclis in vita num Theopompus Plutarchi fuerit auctor, examinemus.

Caput alterum.

Periclis vita Plutarchea utrum e Theopompo sit sumpta necne.

De fontibus, quos Plutarchus Periclis in vita conscribenda adhibuerit, primus quantum video, uberius egit Hermannus Sauppius opusculo suo praestantissimo, quod inscribitur: 'Die Quellen Plutarchs für das Leben des Perikles'. [1]) Cautissimus ille vir his verbis dissertationi suae finem imposuit: 'Wir haben gesehen, dass Plutarch bei der Ausarbeitung dieser Biographie eine reiche Fülle von Quellen vor sich hatte, von der trefflichsten und wieder andere von äusserst verdächtiger Beschaffenheit'. (l. l. p. 38). Anno post Rühlius [2]) in hac quoque vita Theopompi praecipue nos habere reliquias summo opere contendit et quamquam Holzapfelius [3]) eum nonnullis locis redarguere studuit, tamen viri docti [4]) nostrorum temporum fere omnes Rühlii sententiam

1) = 'Abhandlungen der Götting. Gesellsch. d. Wissensch.', vol. XIII, 1867, p. 1 seqq.

2) 'Über die Quellen des Plutarcheischen Perikles'. in Annalibus Fleckeisenianis, vol. XCVII, 1868, p. 657—674.

3) l. l. p. 112—115.

4) exempli gratia affero: Siefertum-Blassium, 'Plutarchs ausgew. Biographien', III vol.[2] Lips. 1883, p. 63. — Holmii Hist. Graec. II, p. 132 seqq. et 212 annot.[1]. — Wilamowitzium, l. l. vol. I, p. 300. — Busoltium, l. l. vol. III[1], p. 237 et passim. — Pöhlmanni Hist. Graec.[2] 1896, p. 100.

approbaverunt, Holzapfelium reiecerunt. Itaque rem denuo tractandam duxi.

A primo exordio (p. 657), sicut fecit in dissertatione sua de vita Cimonis, Rühlius duo fontium genera inter se distinguit, auctores 'praecipuos', quos nominavi (p. 20), quibus per compluria deinceps capita usus sit Plutarchus, et auctores, quos obiter et unius tantum rei testandae causa attulerit, quibus ei quoque adnumerandi sint, quos verbis '*φασὶ*' vel '*λέγεται*', similibus inducat. Tum ita fere pergit (p. 658): „Quos si tollimus atque separamus, habemus initio vitae Pericleae narrationem quandam plane circumscriptam atque continuam, capita VII, IX, X, XI, XIV complectentem. Cuius stilus et indoles fere hic est: 'Quiete et perseveranter rerum gestarum ordo est expositus, nihil potest addi, nihil omitti, auctor Pericli neque studet neque obtrectat, populi sane est inimicissimus, optimarum partium sine dubio fautor, isque tamen iustus et diligens, homo vere historicus'. Quodsi igitur eius nomen **coniectura** est inveniendum, certe ponendus est Theopompus."

Quae est argumentationis quasi prolusio; sequuntur duo loci 'qui primo quasi oculorum obtutu originem Theopompeam prae se ferant' (p. 659) — fragmenta scilicet illa Theopompo falso attributa, quae supra in capitis primi paragrapho prima et altera tractavimus et quae in Periclis quoque vitae capite nono et decimo exstant. Quae denuo refutare, mihi videtur esse supervacaneum.

Quae argumenta quam sint infirma ad sententiam suam evincendam, cum Rühlius ipse quoque sentiret, eadem pagina, iam summum suum atque validissimum proferens argumentum: 'Quibus causis allatis, ait, quamquam res admodum videtur esse verisimilis, tamen luce fit clarius Valerio Maximo collato, quippe qui summopere cum Plutarcho faciat. Congruunt enim inter se hi loci:

Val. Max. VIII, 9 ext. 2.[1])

Pericles autem, felicissimus naturae incrementis, sub Anaxa- | gora praeceptore summo studio perpolitus et instructus, liberis | Athenarum cervicibus iugum servitutis imposuit. Egit enim ille | 10 | urbem et versavit arbitrio suo, cumque adversus voluntatem | populi loqueretur, iucunda nihilominus et popularis eius vox | erat. Itaque veteris comoediae maledica lingua, quamvis po- | tentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris hominis melle | dulciorem leporem fatebatur habitare, inque animis eorem, qui | 15 | illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui praedicabat. | 640 | Fertur quidam, cum admodum senex primae contioni Periclis | adulescentuli interesset idemque iuvenis Pisistratum decrepitum iam contionantem audisset, non temperasse sibi quominus excla- | maret caveri illum

Plutarchi. Pericles.

c. VII, 1: . . *τήν τε φωνὴν ἡδεῖαν οὖσαν αὐτοῦ καὶ τὴν γλῶτταν εὔτροχον ἐν τῷ διαλέγεσθαι καὶ ταχεῖαν . . .*

c. IV, V, VI.

c. XV, 2: . . . *τὰ μὲν πολλὰ βουλόμενον ἦγε πείθων καὶ διδάσκων τὸν δῆμον, ἦν δ' ὅτε καὶ μάλα δυσχεραίνοντα κατατείνων καὶ προσβιβάζων ἐχειροῦτο τῷ συμφέροντι . . .*

cf. permulta comicorum fragmenta, quae a Plutarcho allata sunt, impr:

c. VIII, 2: *αἱ μέντοι κωμῳδίαι τῶν τότε διδασκάλων, σπουδῇ τε πολλὰς καὶ μετὰ γέλωτος ἀφεικότων φωνὰς εἰς αὐτὸν ἐπὶ τῷ λόγῳ μάλιστα τὴν προσωνυμίαν γενέσθαι δηλοῦσι, βροντᾶν μὲν αὐτὸν καὶ ἀστράπτειν, ὅτε δημηγοροίη, δεινὸν δὲ κεραυνὸν ἐν γλώσσῃ φέρειν λεγόντων.*

c. VII, 1: *καὶ γὰρ ἐδόκει Πεισιστράτῳ τῷ τυράννῳ τὸ εἶδος ἐμφερὴς εἶναι, τήν τε*

1) p. 639, 7 Kempf. ed. mai. 1854, = p. 397, 3 seqq. ed. min.[2] 1888.

civem oportere, quod Pisistrati orationi simillima | eius esset oratio.

φωνὴν . . . (vide supra) . . . οἱ σφόδρα γέροντες ἐξεπλήττοντο πρὸς τὴν ὁμοιότητα'.

At mihi quidem verborum similitudo omnino nulla videtur adesse: duos tantum concedo auctores easdem res narrasse, sed ideo alterum ex altero sua hausisse esse concedendum nego.

Sed videamus reliqua. Quid Valerio Maximo cum Theopompo sit commune, quaeritur. Ex quo totam suam narrationem illum sumpsisse Rühlius ut comprobet, quinque affert argumenta. Omitto cetera [velut Theopompum bis citari, fuisse eum historiae mirabilis fontem usitatissimum et nonnullis locis cum Plutarcho congruere.] [1] ad summum tendo, quod Rühlius ita inducit: 'Omnino alium fontem ne intellegi quidem posse; istum enim locum neque e Cicerone, neque e Livio manasse' (l. l. p. 661).

Sed inspiciatur, quaeso, Ciceronis quem scripsit de oratore liber (III, 138) et comparetur cum Valerio. [2]

Cicero.	Valerius.
Quid Pericles? de cuius dicendi vi sic accepimus, ut	Egit enim ille urbem et versavit arbitrio suo, cum-

1) Unum tantum Rühlii errorem breviter volo annotare; errat enim cum dicit, Gutschmidium ('Über die fragmente des Pompeius Trogus'. in: 'Jahrbücher für class. Philologie II Suppl.' Lips. 1856—57, p. 187). contra Kempfium ('Valerii Maximi dictorr. et factt. memm. libb. IX', Berol. 1854, p. 23). adhibitum esse a Valerio Maximo Theopompum ostendisse. l. l. Gutschmidius id tantum probavit duos istos locos Theopompeos (VIII, 13 ext. 5 et VIII, 14 ext. 5). Valerium non habere e Pompei Trogi historiis. — ceterum vide Kempfii dissertationem: de fontibus Valerii Maximi.

2) Kempfius sane hunc locum in. adnot. crit. non attulit, sed solum duos alios, minus ad comparandum idoneos (Brut. XV, 59 et orat. IX, 29).

cum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur; cuius in labris veteres comici, etiam cum illi male dicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt, tantamque in eodem vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret.

que adversus voluntatem populi loqueretur, iucunda nihilominus et popularis eius vox erat.

Itaque veteris comoediae maledica lingua, quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris hominis melle dulciorum leporem fatebatur habitare [1] inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui praedicabat [2].

at hunc non declamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia; itaque hic doctrina consilio, eloquentia excellens quadraginta annis praefuit Athenis.

sub Anaxagora praeceptore summo studio perpolitus et instructus.

Pericles, felicissimus naturae incrementis ... egit ... ille urbem et versavit arbitrio suo.

Nihil addo; res enim est aperta et manifesta. De illa Periclis cum Pisistrato similitudine locum Ciceronis similem non inveni; e Theopompo autem istam narratiunculam non esse, pro certo audeo affirmare. Fortasse habuit eam Valerius e libro quodam Ciceronis deperdito [3] vel

1) cf. Cic. Brut. XV, 59. — 2) cf. Cic. Brut. IX, 38. — 3) cf. Kempfium, l. l. p. 15.

potius ex aliqua apophthegmatum collectione, qua usum esse eum constat. [1])

Quibus refutatis omnes quoque ceterae, quas Rühlius in altera disputationis parte fecit, conclusiones evanescunt neque sunt dignae, quarum habeatur ratio. Nam cum loco tractato non subsit Theopompus, sequitur ut 'capita quartum, quintum, sextum ex illo sumpta esse' non sit necesse (l. l. p. 661); deinde eadem de causa 'quaenam praeterea vitae partes ex eo fluxerint' (l. l. p. 662) non potest quaeri. Itaque ad finem propero, unum tantum Rühlii errorem refutans. Non enim est verum, id quod pag. 666 affirmavit: secundum scholiastam ad Aristophanis aves 557 ea quae in vitae capite vicesimo primo de lupo aheneo, Delphis collocato, Plutarchus narraverit, ab Eratosthene quoque et Theopompo esse relata. Illius scholii [2]), quo bellum sacrum anni a. Chr. n. 448 enarratur, verba ultima ita se habent: '*καλεῖται δὲ ἱερὸς*' (sc. *ὁ πόλεμος*) *ὅτι περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ ἐγένετο. ἱστορεῖ περὶ αὐτοῦ καὶ Θουκυδίδης καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ γ' καὶ Θεόπομπος ἐν τῷ κε'.* Lupi autem ahenei ne uno quidem verbo facta est mentio.

Quae cum ita sint, disquisitonis de Theopompo Plutarchi in Periclis vita auctore faciamus finem Isocratisque discipulum et in Cimonis et in Periclis vita, ut non nominatum, ita quoque non esse adhibitum statuamus.[3])

1) cf. Wachsmuthium, l. l. p. 227. — 2) cf. scholia Graeca in Aristoph. ed. Dübner. Paris. 1877, p. 223 a 49—b 17.

3) Virorum doctorum, qui post Rühlium Periclis vitae Plutarcheae operam suam navaverint, mihi innotuerunt libri hice: H. J. Nassau-Noordewierius [comment. lit. cont. quaestt. duas ad Plut. Pericl. vit. pertinn. Dordraci 1869]. D. M. Ringelingius [Quaestt. de Plut. vita Periclis. Lugd. Bat. 1879]. R. Tarsisius [Plutarco ed il Pericle di Plutarco.' Mediol. 1888]. J. A. Heikelius [Beiträge zur Erkläг. v. Plut. Biogr. des Per.' in Commentt. var. III, IV. Helsingforsiae 1891]. Quorum e numero Farsisii et Ringelingi opuscula ut inspicerem mihi non contigit; atque Noordewerium et Heikelium, cum plane nihil novi protulissent, duxi oimittendos.

Caput tertium.

Plutarchus utrum auctores, quos in Vita Cimonis attulerit, ipse inspexerit necne.

Qua in quaestionis parte ut Cimonis praecipue vitam tractare animum inducerem, permulta me permoverunt. Primum enim Mohrii et E. Schmidtii dissertationes, qui in Themistoclis et Aristidis vitis componendis fontes suos non ipsum adhibuisse Plutarchum sibi persuaserant [vide supra p. 7 seq.], iam dudum ab Holmio [1]), Bauero [2]), Busoltio [3]), sunt refutatae; deinde cum adhuc in Cimonis et Periclis vitis explicandis essemus versati, Themistoclem et Aristidem adhibere longum esse videbatur; tum permovit me et summa Meyeri inter viros doctos auctoritas et viri doctissimmi audacia, qua quae in una tantum vita examinanda eruisse sibi visus est, de omnibus statuit. Ultimum accedit hoc, quod nemo adhuc, quantum ego quidem scio, de Meyeri libro fecit iudicium, duobus locis brevissimis exceptis. [4])

Itaque quantum in me est virium ei rei diiudicandae impertire, mihi haud inutile videbatur.

1) 'Bursians Jahresbericht.' vol. III. 1880, pp. 384—387.

2) 'Themistocles, Studien u. Forschungen z. griech. Historiogr. u. Quellenk.' Martisburgi 1881, pp. 140—144, 157.

3) l. l. vol. II², p. 627 seqq.

4) In annall. Sybell. vol. LXXXV. 1900, pp. 467—472 et in Athenaei No. 3770.

Duobus potissimum locis nisus Plutarchum veteres rerum ab Graecis gestarum scriptores ipsum non inspexisse, Meyer studuit comprobare: capitibus duodecimo et tertio decimo, quae sunt de pugna Eurymedontea, et capitibus XV. et XVI, quibus Cimonis res domesticae et gentiliciae referuntur.

Hos igitur locos paullo diligentius examinemus.

§ 1.

Plutarchus utrum fontes in pugna Eurymedontea allatos ipsos ad manum habuerit necne.

Meyer cum dicit (l. l. p. 2) pugnae Eurymedonteae narrationem e Callisthenis [1]) Hellenicis hausisse Plutarchum, secutus est Holzapfelium, qui (l. l. pp. 108—110) primus et unus hanc tulit sententiam. Quare ad illum redeamus eiusque argumenta novis curis examinemus. Recte ille Theopompum subesse non posse demonstravit (p. 108 seqq.), recte idem pugnae ipsius relationem e Callisthene fluxisse intellexit, isto enim enuntiato: '*Καλλισθένης δ'* (sc. *φησὶ*) *Ἀριομάνδην τὸν Γωβρύου, κυριώτατον ὄντα τῆς δυνάμεως, παρὰ τὸν Εὐρυμέδοντα ταῖς ναυσὶ παρορμεῖν, οὐκ ὄντα μάχεσθαι τοῖς Ἕλλησι πρόθυμον κ. τ. λ.*' totius pugnae quasi argumentum abditum latet. At longe alia quaestio est, utrum verba, quae antecedunt, ex eodem Callisthene sint necne. Quod ut comprobet, Holzapfelius verba: '*βουλόμενος* (sc. *Κίμων*) *αὐτοῖς* (sc. *τοῖς Πέρσαις*) *ἅπλουν καὶ ἀνέμβατον ὅλως ἐπὶ φόβου τὴν ἐντὸς Χελιδονίων ποιήσασθαι θάλατταν*' (484, 25 seqq. Sint.) comparat cum fragmento Callisthenis altero, quod legitur in capite tertio decimo (p. 486, 25 seqq. Sint.): '*Καλλισθένης. . . φησὶ . . . ἔργῳ*

1) cf. 'Scriptores rer. Alex. Magni coll. C. Müller.' pp. 1—32 in Appendice Arriani Dübneriani. Paris. 1877, et E. Schwartzium 'Callisthenes' Hellenica' in Hermae vol. XXXV. 1900, pp. 106—130.

δὲ ποιεῖν διὰ φόβον τῆς ἥττης ἐκείνης' et quia utroque enuntiato eadem sint relata, ex eodem quoque rerum scriptore esse affirmat. Argumentum autem hoc mihi quidem plane nihil videtur valere. Undenam tandem tam verbo tenus fontes suos exhausisse scimus Plutarchum, ut nihil mutare, nihil de suo addere potuisset? Nonne hoc modo ea, quae demonstrare conamur, iam taciti ponimus? Quae est ratio, qua vitas suas e singulis singulorum auctorum fragmentis atque frustulis consuere solitum esse nostrum cogamur statuere? Quae insidiosa atque lubrica opinio in omnium doctorum virorum, qui his temporibus auctoritatem Plutarcheam vituperaverunt, animis abdita latet valetque. Si autem mente tali modo occaecata praeconceptaque ad vitarum fontes detegendos accedimus, nos ea quae iam antea animis finximus, deinde revera agnoscere arbitrari non est mirum. Quare mihi quidem totum illud pugnae quasi prooemium, quod initio capitis duodecimi exstat, quippe quo nihil novi sit additum, a Plutarcho ipso videtur esse compositum. Inde autem efficitur, ut Plutarchus Callisthenem perverse non sit interpretatus (Meyer l. l. p. 3 seq.), quae sententia et per se valde est dubia et multis aliis praeterea causis labefactatur. Primum enim omnino non constat pugnae Eurymedonteae narrationem in Callisthenis Hellenicorum introitu fuisse scriptam, id quod Holzapfelius dubitanter tantum protulit (l. l. p. 109); Meyer (l. l. p. 3) pro certo posuit. Secuti sunt viri docti Carolum Müllerum (l. l. p. 11), sed ne ille quidem ullum protulit argumentum. [1])

1) cf. contra sententiam E. Schwartzii (l. l. p. 109): 'Kallisthenes knüpfte die Leugnung des Vertrages an eine Schilderung der Schlacht am Eurymedon. Für eine solche Schilderung ist kein leichterer Anlass denkbar, als Alexanders Marsch durch Pamphylien im Jahr 333.'

Quibus reiectis Callisthenem pacem Callianam cum Antalcidea non oratorum more comparasse non difficile est intellectu. Totum igitur illud Hellenicorum Callisthenicorum prooemium a Meyero (l. l. p. 4. seq.) nimis audacter restitutum cadit et corruit.

Nonnulla alia praeterea accedunt: nescimus omnino, num Callisthenes fuerit rerum scriptor tam peritus et diligens, qualem Meyer (l. l. p. 3 et 4) sibi finxerit; nescimus quoque quales fontes ille in enarrandis rebus gestis tam longinquis adhibuerit, denique, cum locus Plutarcheus: 'καίτοι Καλλισθένης οὔ φησι ταῦτα συνθέσθαι τὸν βάρβαρον, ἔργῳ δὲ ποιεῖν διὰ φόβον τῆς ἥττης ἐκείνης etc.' non sit satis dilucidus et perspicuus, ne hoc quidem potest diiudicari, utrum Callisthenes nullam omnino pacem factam esse contenderit an solum statim post pugnam Eurymedonteam pacem esse compositam negaverit.

Sed in Holzapfelio refellendo nimis longi fuimus; revertamur igitur ad propositum et examinemus argumenta, quae ad sententiam suam fulciendam Meyer (l. l. p. 22) protulit. Sunt autem tria. Quorum quod primum posuit: factum esse non posse, ut Plutarchus Callisthenem adhibuisset, quia eum non satis perspexisset, quam esset infirmum, iam vidimus. Deinde Ephori quoque verba minime curasse Plutarchum affirmat: ergo ipsum eum non legisse. Phanodemi [1]) denique Atthidem Plutarchi temporibus fuisse librum tam rarum et inusitatum, ut eum ab illo non esse exscriptum pro certo habendum sit. Quae argumenta, ex auctorum, ut ita dicam, vitiis petita nihil per se valent. Si enim Plutarchus vitas, quae eius sub nomine feruntur, ipse non composuisset, sed tantum Alexandrini temporis cuiusdam viri docti, sive

1) de quo vide Müllerum F. H. G. I, p. LXXXVII et 366–370.

Didymi (cf. Meyerum l. l. p. 47 seqq. et 66) sive alius libros verbum ex verbo exscripsisset, ille Didymus in opusculis suis componendis gravia, quae Meyer Plutarcho exprobravit vitia commisisse censendus est. Quodsi vero doctus Didymus fontes suos tam incuriose tractasse putandus est, cur 'indoctus', quem Meyer sibi fingit, Plutarchus non item?

Deinde Plutarchus, si iam vitas plane confectas habuit, quae tandem de suo addidit? Nihil aliud eum fecisse, nisi sententias quasdam morales et philosophicas et nonnumquam poëtarum quosdam versiculos in Didymi textum inseruisse, auctor est Meyer (l. l. p. 68). Sed Plutarchus eratne uni tantum philosophiae deditus, ut qui poëtas quidem et philosophos antiquos adamaret et memoriter teneret, rerum autem scriptores plane neglegeret, neque dignos putaret, quos inspiceret, ne Thucydidem quidem ipsum (l. l. pp. 22 et 68)?

Denique ex eo, quod Phanodemi perpauca tantum habemus fragmenta, a paucis eum rerum scriptoribus esse exscriptum per me liceat coniectura colligere; at quibusnam causis impedimur, quominus Plutarchum, multae certe lectionis virum, vel rarum librum in usum suum vocasse putemus?

Quae cum ita sint, tali modo rem non posse diiudicari satis mihi videor monstrasse.

§ 2.

Plutarchus utrum in Cimonis rebus domesticis enarrandis rerum scriptores ipse adierit necne.

Quae hanc ad causam protulerit Meyer (p. 25 seqq. impr. pp. 36—41) ea multo facilius refutare et diiudicare poterimus. Plutarchi enim capita XV. et XVI. cum scholio quodam illius Aelii Aristidis, quae inscribitur

'πρὸς Πλάτωνα ὑπὲρ τεσσάρων' orationis comparat Meyer, quos locos tantopere inter se congruere affirmet, ut eodem ex fonte eos manasse sit censendum. Itaque quo similitudinem illam oculis perspicere sit proclivius, denuo eos apponam:

schol. ad Ael. Aristidem.[1])

Κίμων Μιλτιάδου γέγονε παῖς. ἔδοξε δὲ τὸ πρῶτον | *εὐήθης εἶναι τὴν φύσιν · ὅθεν καὶ ὀρφανὸς γενόμενος* | 10 | *μέχρι πολλοῦ ὑπὸ ἐπιτρόπων* (ἐπὶ ἐπιτρόπους B) *ἦν . τοῦτον ὁ Δημοσθένης* | *φησὶν ἐν τῷ κατὰ Ἀριστογείτονος, ὅτι τὴν πάτριον μειε-* | *κίκησεν ἐφ' αὑτὸν πολιτείαν · καὶ παρὰ τρεῖς μὲν ἐψηφί-* | *σαντο ψήφους, τὸ* (τῷ B) *μὴ θανάτῳ ζημιῶσαι · πεντήκοντα δὲ* | *τάλαντα ἐπράξαντο.* a) *Δίδυμος δέ φησιν οὐχ ὅτι ἐλακώνι-* | 16 | *ζεν, ἀλλ' ὅτι Ἐλπινίκῃ τῇ ἀδελφῇ συνῆν.* b) *αἴτιοι δὲ τῆς διαβολῆς οἱ κωμικοὶ, καὶ μάλιστα Εὔπολις* (om. B) *ἐν Πόλεσι.* | c) *γυναῖκα δὲ εἶχεν Ἰσοδίκην. [Καλλίας δὲ, ὁ υἱὸς αὐτοῦ. κα-* | *τέβαλλεν ὑπὲρ*

Plut. Cim. cap. XV et XVI.[2])

Διὸ καὶ τοῦ Κίμωνος, ὡς ἐπανῆλθεν, ἀγα | *νακτοῦντος ἐπὶ τῷ προπηλακίζεσθαι τὸ ἀξίωμα τοῦ συνε-* | *δρίου, καὶ πειρωμένου πάλιν ἄνω τὰς δίκας ἀνακαλεῖσθαι καὶ τὴν ἐπὶ Κλεισθένους ἐγείρειν ἀριστοκρατίαν, κατε-* 30 | *βόων συνιστάμενοι καὶ τὸν δῆμον ἐξηρέθιζον,* a) *ἐκεῖνά τε τὰ πρὸς τὴν ἀδελφὴν ἀνανεούμενοι καὶ Λακωνισμὸν ἐπι-* | 489 | *καλοῦντες.* b) *Εἰς ἃ καὶ τὰ Εὐπόλιδος διατεθρύληται περὶ Κίμωνος ὅτι „κακὸς μὲν οὐκ ἦν, φιλοπότης δὲ κἀμελής · κἀνίοτ' ἂν' ἀπεκοιμᾶτ' ἂν' ἐν Λακεδαίμονι κἂν Ἐλπινίκην τήνδε καταλιπὼν*

1) vol. II p. 151, 8 edit. Jebb. — vol. III p. 515, 8 Dind.
2) vol. II p. 488, 26 Sint.

αὐτοῦ (τὰ add. B) πεντήκοντα τάλαντα · κατέβαλε δὲ | *ἐπὶ τὸ πρὸς γάμον λαβεῖν τὴν Ἐλπινίκην. ἐξοστρακισθεὶς* | 20 | *δὲ κατῆλθε, καὶ στρατηγήσας ἐνίκησεν ἐπ' Εὐρυμέδοντι,* | *καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν . τέθνηκε δὲ τὸ Κήτιον* | *τῆς Κύπρου πολιορκῶν. Ἔφορος δὲ ἐν τῇ πρώτῃ* (corr.: *ἐν ἐνδεκάτῃ*) *φησὶν* | *ἐκτῖσαι αὐτὸν τὰ πεντήκοντα τάλαντα, γήμαντα γυναῖκα* | *πλουσίαν.*] d) *υἱοὺς δὲ ἔσχεν ἕξ, ὧν τοὺς μὲν τρεῖς ἀπὸ ἐθνῶν,* | *ὧν προυξένισεν* (προυξένησεν B), *ὠνόμασε, Λακεδαιμόνιον, Ἠλεῖον,* | *Θετ-* | *ταλὸν, τοὺς δὲ τρεῖς ἀπὸ ὀνομάτων τῆς συγγενείας, Μιλ-* | *τιάδην Κίμωνα καὶ Πεισιάνακτα.*

cf. supra sub c) *γυναῖκα δὲ εἶχεν Ἰσοδίκην.*

μόνην." d) cap. XVI. *Ἦν μὲν οὖν ἀπ' ἀρχῆς φιλολάκων · καὶ τῶν γε* | *παίδων τῶν διδύμων τὸν ἕτερον Λακεδαίμονιον ὠνό-* | *μασε, τὸν δ' ἕτερον Ἠλεῖον, ἐκ γυναικὸς αὐτῷ Κλειτο-* | *ρίας γενομένους, ὡς Στησίμβροτος ἱστορεῖ · διὸ πολλά-* | *κις τὸν Περικλέα τὸ μητρῷον αὐτοῖς γένος ὀνειδίζειν.* c) *Διόδωρος δ' ὁ Περιηγητὴς καὶ τούτους φησὶ καὶ τὸν τρί-* | *τον τῶν Κίμωνος υἱῶν Θεσσαλὸν ἐξ Ἰσοδίκης γεγονέναι* | *τῆς Εὐρυπτολέμου τοῦ Μεγακλέους.*

Demonstrandi autem viam ingressus est Meyer (p. 38 seqq.) hancce: cum et in scholiis Aelianis nonnulla legantur, quae Plutarchus non habeat, et Plutarchus multa exhibeat, quae in scholiis non inveniantur, factum esse non posse, ut totum istud caput a Plutarcho sit compositum, sed esse summarium e nescio cuius viri docti

opusculo quodam excerptum; illum autem virum nullum alium esse posse nisi Didymum, e scholiastae verbis luce clarius evinci.

Permulta sunt, quibus ut a Meyero abscedam commoveor.

Ac primum quidem errat, cum dicit totum illud scholion e Didymi quodam libro esse depromptum.

Quod ut probemus, initium nobis faciendum est a loco isto Demosthenis, quem Meyer — non suo ille quidem iure — plane neglexit et quem mirum in modum inter scholiastae verba irrepsisse arbitratur (l. l. p. 36). Exstat autem in oratione Aristocratea (pro qua falso apud Aelium laudatur Aristogitonea [1]), et haec sunt eius verba: ‘*Καὶ Κίμωνα, ὅτι τὴν πάτριον* [2]) *μετεκίνησε πολιτείαν ἐφ' ἑαυτοῦ παρὰ τρεῖς μὲν ἀφεῖσαν ψήφους, τὸ μὴ θανάτῳ ζημιῶσαι, πεντήκοντα δὲ τάλαντα ἐξέπραξαν.*’

Quibus verbis Demosthenicis cum scholiasta statim addiderit: ‘*Δίδυμος δέ φησιν, οὐχ ὅτι ἐλακώνιζεν, ἀλλ' ὅτι Ἐλπινίκῃ τῇ ἀδελφῇ συνῆν*’, nonne solis luce est clarius, e commentario quodam a Didymo in Demosthenis orationes confecto fluxisse hoc enuntiatum? Inde autem efficitur, ut non cum Meyero (p. 36) sit supplendum: ‘patria est expulsus’; sed: ‘quinquaginta talentis multatus est’; Didymi enim: ‘*ἐλακώνιζεν*’ idem valere ac Demosthenis: ‘*τὴν πάτριον μετεκίνησε πολιτείαν*’ quis est, quin intelligat? [3])

1) or. XXIII § 205 = p. 688 l. 25 seqq. ed. Reisk. = 246 Dind.

2) *πάριων* (sic!) Σ^1; *Y*; *πάτριον* Σ^2; schol. Aelian. (cf. Voemelium in ‘Neue Jahrb. f. Philologie’, vol. LXVI, 1852, p. 108 seq.) *πάτριον*, quod unum rerum narratarum nexui est accommodatum, post Funkhaenilii disputationem luculentam (‘Zeitschr. f. Altertumswiss.’, vol. XV, 1857, 119 seq.; 121—124) omnes editores receperunt.

3) Quam sententiam iamdiu a Stahlio [in Mus. Rhen. vol. XXXIX, 1884, p. 464 annot. 2] esse prolatam, id quod

Tales, quorum modo mentionem feci, commentarios a Didymo cum in alios oratores Atticos, tum imprimis in Demosthenem esse compositos [1]) e multis Harpocrationis lexici locis scimus. exempli causa quae s. v. ‘*γαμηλία*’ legimus, apponam: ‘*Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς Εὐβουλίδην ἐφέσει καὶ Ἰσαῖος. καὶ Δίδυμος ὁ γραμματικὸς ἐν μὲν τοῖς Ἰσαίου ὑπομνήμασί φησιν ... ἐν δὲ τοῖς εἰς Δημοσθένην ὁ αὐτὸς πάλιν ... φησὶν*’ (p. 77, 5 seqq. Dind.)

Quin etiam praeter orationes Philippicas (Harp. s. v. ‘*Πολύστρατος*’ 156, 10 Bekk. = 254, 9 Dind.), Ctesiphonteam (ibid. s. v. ‘*οἰκίσκῳ*’ 135, 8 B. = 218, 9 D.), Aeschineam (ibid. s. v. ‘*ἐσπαθᾶτο*’ 87, 8 B. = 137, 3 D.), Midianam (ibid. s. v. ‘*κυμβίον*’ 116, 27 B. = 186, 9 D.) alias Aristocratea ipsa nominatim laudatur, quam ille studiis suis illustraverit. cf. quae leguntur s. v. ‘*ὁ κάτωθεν νόμος*’ (136, 10 B. = 220, 6 D.): ‘*Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους. Δίδυμος „ἤτοι“ φησὶ „τὴν ἡλιαίαν λέγει ὁ ῥήτωρ κ. τ. λ.*“ — Quae omnia fragmenta collegit et disposuit Mauricius Schmidtius libro suo, qui inscribitur: ‘Didymi Chalcenteri fragmenta’ [pp. 310—317], quem tamen hoc frustulum videtur fugisse.

Quae cum ita sint, libenter fateor me quibus causis commotus Meyer hanc sententiam improbarit omnino non intellexisse. Si enim ‘*ὑπόθεσις*’ illa ex alio quodam libro Didymi deprompta esset, quomodo factum esset, ut

postea investigavi, nihil est quo magis gaudeam. — Rem autem denuo uberius demonstrare mihi propterea non videbatur inutile, quod Stahlius nullum omnino addidit argumentum; Meyer autem ea reiecit ne ille quidem ulla causa allata (l. l. p. 47 annot. 1).

1) cf. Susemihlium, ‘Alexandr. Lit.-gesch.’, vol. II, 1892, p. 203 annot. 309—313 et p. 688. Mauric. Schmidtium, Didymi Chalcenteri fragm. Lips. 1854, pp. 310—321.

illa Demosthenis verba in eius contextum interponerentur? Adde, quod Didymi locus laudatus, si solus legitur, percipi plane nequit, deest enim aliquid, quod unde supplendum sit, non video, nisi Demosthene adhibito. Concedendum quidem est non totam 'ὑπόθεσιν' ex annotationibus a Didymo in orationem Aristocrateam compositis esse exscriptam [1]), sed cur tandem ea ex uno libro esse debet? Quid si magistellus quidam discipulorum suorum in usum rudem eam atque indigestam molem e compluribus libris composuit? Ex uno libro tum demum esse posset, si Meyer demonstravisset esse eam narrationem unam atque continuam. Sed ipse quoque [p. 36, 37] Ephori Demosthenisque testimonia nonnulla alia, quippe quae inter rerum narratarum contextum essent interposita, segreganda esse contendit; eis autem, quae tum restant et quae litteris a, b, c, d ab eo sunt designata, continuam quandam rerum seriem formari atque componi, quis est qui audeat affirmare?

Sed nimis iam longi in hac quaestionis parte tractanda fuimus, quare transeamus ad alteram; oportet enim examinemus, num similitudo, quae inter scholiastam et Plutarchum intercedat, sit tanta, ut quae rettulerint, ea ex eodem fonte manasse necesse sit arbitrari. Ac statim prima illa enuntiata: — *'ἐκεῖνά τε τὰ πρὸς τὴν ἀδελφὴν ἀνανεούμενοι καὶ Λακωνισμὸν ἐπικαλοῦντες'*. et: *'Δίδυμος δέ φησιν, οὐχ ὅτι ἐλακώνιζεν, ἀλλ' ὅτι Ἐλπινίκῃ τῇ ἀδελφῇ συνῆν'* — a Meyero mea quidem sententia non bene inter se componuntur, quippe quae plane contraria sint. Nam Didymum Cimoni aut laconismum solum aut laconismum et stuprum cum sorore factum opprobrio dedisse statuendum

1) Errore quodam Meyeri factum est, ut Stahlium id affirmasse scriberet (p. 47 annot. 1); ille nihil aliud Didymo tribuit, nisi ea verba, quae eius sub nomine allata sunt. (l. l. p. 465 annot.)

est; utrumque autem non potest stare. An hic quoque Plutarchum non satis Didymum intellexisse nobis persuadeamus?

Huc accedit, quod, si revera uterque auctor ex eodem rerum scriptore hausisset, semper fere alterum exhibere, quae alter non haberet, valde esset mirum. Atqui legimus apud Plutarchum versus Eupolideos ipsos, scholiasta eos non habet; contra hic nomen fabulae profert, at non ille item; Plutarchus tres tantum enumerat filios, scholiasta sex; Cimonis denique feminam hic nominat unam, ille duas.

Quae cum ita sint, locos illos s. s. ad unum fontem non esse referendos satis mihi videor demonstrasse.

Venio nunc ad ultimum Meyeri argumentum, quod pag. 39 protulit [1]), cum totam illam narrationem a Plutarcho non suo esse additam loco contenderet. Quod, ut confutemus, rerum a Plutarcho narratarum ordinem atque conexum paulo diligentius examinari non videtur esse alienum.

Incipit caput quintum decimum a verbis: *'ἐκείνην μὲν οὖν ἀπέφυγε τὴν δίκην'*, iam quomodo factum sit, ut Cimon in eam quam non effugeret litem incideret, testarum dico suffragium, Plutarchus pergit explicare. Quo in enarrando per capita XV, XVI, XVII versatur usque ad verba: *'τὸν Κίμωνα μικρᾶς ἐπιλαβόμενοι προφάσεως ἐξωστράκισαν εἰς δέκα ἔτη.'* (p. 491, 23 Sint.) Causae autem, quibus commoti Atheniensés eum patria

1) 'das aus Didymos stammende Stück ist ... in den Zusammenhang eingeschoben und zwar an sehr unpassender Stelle. Denn die Geschichte des Emporkommens Kimons durch seine Verbindung mit Sparta würde in einer selbständigen Arbeit an den Anfang seiner politischen Laufbahn und vollends die Angaben über seine Familienverhältnisse entweder an den Eingang der Biographie oder etwa an den Schluss gehören, aber nicht mitten in die Geschichte des Ostrakismus.'

expellerent, afferuntur duae: stuprum cum sorore factum [῾ἐκεῖνά τε τὰ πρὸς τὴν ἀδελφὴν ἀνανεούμενοι᾽] et studium Lacedaemoniorum [῾καὶ Λακωνισμὸν ἐπικαλοῦντες.᾽] Cimonem vero rebus Lacedaemoniorum revera studuisse, ut comprobaret, Plutarchus deinde ea profert, quae Meyer ei exprobravit: versus Eupolidis; nomina filiorum, Lacedaemonii et Elei; ea denique de causa Lacedaemonios Cimoni faventes et Cimonem Lacedaemoniorum mores laudantem inducit.

Quibus expositis tantum abest, ut cum Meyero faciam, ut arte quadam Plutarchum causas exilii illustrasse putem.

Haec habui, quae de Didymo Plutarchi auctore dicerem.

Conclusio.

Non iis verbis, quae alii viri docti in extremis suis dissertationibus scribere solent, cum dicant: ῾iam ad finem perduximus hanc quaestionem᾽, ego quoque finem opusculo meo possum imponere. Etenim rem me tantum tetigisse concedo; quod fortasse causae tractatae difficultatis habebit excusationem.

Ea tamen, quae effecisse mihi videor, breviter comprehendam:

1. Theopompus a Plutarcho neque Cimonis neque Periclis in vita est adhibitus.

2. Autores, quos in vita Cimonis affert Plutarchus, eum non legisse Meyer non demonstravit.

3. Didymum vitam Cimonis conscripsisse neque e Plutarcho neque e scholiasta Aeliano potest evinci.

In Plutarchi autem fide historica aestimanda sequor Guilelmum de Humboldt, Niebuhrium[1]), Wachsmuthium.[2])

1) 'Vorträge über alte Geschichte.' vol. II. Berol. 1848, p. 359—361; p. 360 sententia Humboldti.

2) 'Einleitung.' p. 220—222.

Vita.

Natus sum Curt Rudolf Rau Cygneae idibus Maiis anno huius saeculi LXXVII patre Guilelmo, matre Anna e gente Wolf, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum elementis quinque per annos instructus, anno 1888 in gymnasium Cygneense, cui primo Erler, tum Gerth praeerant, sum receptus. Ubi quam bene de me meriti sint viri doctissimi Otto Wünsche et Otto Langer numquam obliviscar. Vere anni 1897 maturitatis testimonium adeptus Lipsiensem almam sedem litterarum adii. Hieme proxima deinde Berolinum me contuli, ubi me docuerunt viri doctissimi: Froehde, Koser, Lenz, Paulsen, Vahlen, de Wilamowitz. Praeterea proseminarii regii philologici, cui praeerant Hermann Diels et Wilamowitz, sodalis fui ordinaris. Postquam per sex menses ibi commoratus sum, ad patriae litterarum universitatem redii. Atque instruxerunt me viri clarissimi: Brandenburg, Brugmann, Buchholz, Cichorius, Gardthausen, Hasse, Heinze, Immisch, Kaerst, Lamprecht, Lipsius, Marcks, Ribbeck (†), Schreiber, Steindorff, Studniczka, Wachsmuth, Windisch, Wundt.

Sodalis fui ordinarius:

Proseminarii philologici moderante Immischio per sex menses;

Seminarii philologici moderantibus Lipsio, Marxio, Wachsmuthio per bis sex menses;

Seminarii historici moderante Cichorio per sex menses, moderante Wachsmuthio per bis sex menses, moderante Buchholzio per ter sex menses, moderante Lamprechtio per bis sex menses, moderante Marcksio per semestre spatium;

Seminarii paedagogici moderante Ricardo Richtero per sex menses;

Instituti Indo-Germanici quod dicitur, cui praeest Carolus Brugmann, nunc alterum semestre sum senior.

Archaeologicis denique ut interessem exercitationibus benigne mihi concesserunt Schreiber et Studniczka.

Quibus omnibus viris doctissimis cum Dielsio, Vahlenio, Wilamowitzio, tum imprimis Brugmanno, Lipsio, Marxio quantum debeam, numquam obliviscar.

Praecipue autem semper pio gratoque animo colam Curtium Wachsmuthium, praeceptorem veneratissimum horumque studiorum fautorem benevolentissimum, et Gustavum Buchholzium, qui paene alter mihi exstitit pater.

Denique et amicorum carorum dulcissimum commercium et studiorum largum fructum mihi praebuisse philologorum thiasum Lipsiensem semper recordabor.

Typis Hallbergi & Büchtingi (nunc. L. A. Klepzigii), Lipsiae.